ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Virorū summe

Meae dum ad te scribo partes sunt implicatae, atque et hinc
et inde ancipites: nempe et qui caesus est affinitate me
tangit, et qui eum prostravit: uterque a materna stirpe.
utrique mater vidua, utraque fidem meam experta. Saevis=
simos dolores oggerit illi, dira poenia, cum qua ei sine missio-
ne depugnandum, interfecto marito, cui minus gratum habentibus
matrimoniū illius patre et matre denupserat: huic filius
profugus, una domus spes quondam. Trienniū est quod acerbissi-
mis pulsatum querimoniis tantum non enecarunt. Caeterū
vero ab animo meo quod huc usque impetrare non potui ut
iem in partes nisi conciliatis in mutuam remissionem mentibus
nunc ultra nequeo supprimere quando (Deum et bonam mentem
sincere testor) et alter iure caesus est, neque quid peccatum in
inculpatae tutelae moderamine. Traxit profugus non vitam
sed vitae supplicium, miles exilio non fortunatior, quam
fuerat studiosus, matrem sorores geminas sic afflixit, ut
proculdubio non alia mors immineat aerumnosissimis ac praeter
culpam miseris mortalibus, quam a tabe, quae non indubiis signis
illas tenet, victimas dolori, cui ferendo sunt impares. Non
aliud praesentius quam a Clementia principis remediū. Ita
quidem est, si mea res ageretur, sisterem me, et tuerer
innocentiam meam, injecta defensionis necessitate, quam liquido
ille probat; neque dubiū mihi quin id si factū foret, non esset
opus his supplicationibus: at enimvero nec matri quis talia
privatim suadeat, et ut ut vel persuadeat, ignorare non

potest

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4414

potest, esse in judiciis quae incerta sunt, et vel securis timenda, neque paribus semper judicijs illos agere, quibus res terminanda commissa est. Addo, quod neque afflictissimae matris status is sit, ut has moras ferre valeat: quin et ambigere me, vel accelerato beneficio principalis clementiae, sit ne filium visura; dum tempore tota cedit malo depascenti. Nolo molestus esse, pietatem obtendo, maternos affectus, extensos luctus amisso (et hic tabe mortuus) filio primogenito, quem virtus, doctrina excellens, inque omnia evadens ingenium eo provexerant, ut nostri saeculi doctissimus decessurus non fuisset si quid superesse licuisset, summo tui nominis observatore eodem, et renascentes successu perpete dolores, dum scaeva, obversa omnia, nec quid oculis praesentius quam mors ipsa, quam domus extincta, et ex molestissimis cogitationibus quid tandem filio suo post amissos patrem, matrem, fratrem, sorores, post omnia uni ruinae subdita futurum sit, tormenta crudelissimis recursibus identidem lancinantia. Per Deum, per charissima tibi pignora, quae voveo, benignum numen radijs propioribus sui favoris condecoret, et ad optima maxima provehat, oratus esto, quantillum hic faventiae tuae accommoda. res est te digna quam supplex illa per me petit, quamque ego (si quid in eo momenti) peto. quin et eadem Deo sit acceptissima tam non dubito, ut et asseverare ausim, non aliud mihi animi dictamen esse quod vim ipse met mihi a conscientia ferre mea videar, quod non ante laboranti adfuerim. Vale. Sum qui semper

Virorum summe

Perillustri nomini virtutibusque dicatissimus

Graswinckel

Haga 30 July 1646

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4414

Incomparabili ac supra laudem
D. Constantino Hugens Zuli
chemo Equiti, Serenissimo
Arausionensium Principi a con
silys et secretis in
Castris

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4414